



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

3. De missione Gabrielis & salutatione B. Virginis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

Redemptorem, coæqualem scilicet æterno Patri filium pro nobis redimendis incarnandum? Spes, gratitudo, amor.

*De missione Gabrielis, & salutatione
B. Virginis Luc. I.*

III.

I. **C**Um iam adesset optatum illud momentum ab æterno præsignatum, quo tantum perficeretur mysterium, Pater æternus misericordiarum viscera pandens, Filius ad currendam viam suam, ut Gigas exultans, Spiritus Sanctus ad cooperandum tanto pietatis sacramento exardescens vnanimum consensu mittunt legatum Archangelum Gabrielem, Dei virtutem nomine & re referentem, ad Virginem non mundo, sed cœlo celebrem, regiâ quidem stirpe prognatam, sed fabro desponsatam, non in ciuitate, nec palatio regio, sed in oppidulo & cubili exiguo residentem. Summa legationis erat æternum illi reuelare Sanctissimæ Trinitatis decretum, ut videlicet velit esse Mater Verbi incarnandi. O quanta diuinæ potentia, sapientia, bonitatis dignatio, creaturæ suæ liberum consensum in re etiam tantâ, ex quâ pendeat salus vni-

C 3

usr-

uetorum, tam benignè requirentis, atque ad tam sublimē dignitatem ex gratuita misericordiā illam inuitantis! O quāta & illa eiusdem dignatio te toties tam indignum ad gratiam eius acceptandam, intimamq; familiaritatem secum ineundam, tot internis inspirationibus vocantis, allicientis, pertrahētis? Quanta tantæ Dei dignationi & gratuita dilectioni deberetur merito gratiarum actio, & reciproca dilectio? Quanta Beatæ Virgini, quam sic præ omnibus creaturis respexit Deus, congratulatio? His expensis hi affectus gratitudinis, amoris, congratulationis eliciendi.

¶ I. Salutatur Gabriel Virginem sic: Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Expende hic expressas Beatæ Virginis prærogativas, i. Quod sit gratiā plena, plena, inquam, longè supra omnes Sanctos eminentiā omnium gratiarum, Matri Dei debitarum, plena in primis gratia sanctificante, fide, spe, charitate, humilitate, ceterisque virtutibus: plena deinde sapientia, scientia, pietate, ceterisque Spiritus sancti donis: plena præterea, quoad memoriam sanctissimis cogitationibus, quoad intellectum diuinissimis illu.

illustrationibus, quoad voluntatē, feruentissimis amoris, zeli, aliarumq; virtutum actibus, vehementibusq; desiderijs aduentūs Messiae & redemptionis humanæ. 2. Quod Dominus cum illa, non tantum omnibus modis, quibus est cum iustis omnibus, & quidem multo eminentius per gratiam iustificantem, peculiarem assistentiam, stupendam familiaritatem, sed etiam, quod corporaliter sit in eius utero futurus per incarnationem. 3. Quod sit benedicta omni genere benedictionum illi conuenientium. quod sit præseruata ab omni labe, originali, & actuali, à fomite peccati, ab illa maledictione Euxæ: *In dolore paries* Gen. 3.
filios tuos: ab opprobrio sterilitatis per partum virgineum: insuper quod sit futura Mater omnium benedictionum, utpote paritura promissum Messiam, in quo benedicentur omnes gentes: His expensis congratulare B. Virgini, & gratias age diuinæ Maieftati pro concessis his ipsi prærogatiuis.

III. Humilis ac prudens Virgo respondet nõ verbo, sed prudēti silentio, ac verecūda vultus mutatione, ad laudes suas erubescens, seque indignam reputans, quam Angelus suauiter consolans his erigit: *Ne timeas Maria, inuenisti enim*

gratiam apud Deum, innuens fontem omnium prædictarum benedictionum esse meram Dei gratiam & dilectionem. O quàm eximios interim illuminatissima Virgo elicuerit affectus intimæ humilitatis, gratitudinis, amoris, profundissimam suæ vilitatis, & diuinæ Maiestatis, suæ indignitatis & diuinæ benignitatis abyssum intuens, sibi nihil, præter putū suum nihilū, Deo omne suum bonum in solidum ascribens: gratis se te dilectam, gratis ad tantam gratiam se electam, gratis se sic euectam humillimè agnoscens Congratulare illi de tanta gratia, quam inuenit, & de tanta humilitate, qua maiorem promeruit, & æmulare eam in affectibus humilitatis, gratitudinis, amoris.

IV.

De expositione mysterij Incarnationis.

I. **E**Xponit Angelus Beatæ Virgini, quod sit paritura filium, & qualem, & quātum. *Ecce concipies & paries filium*, talem scilicet, qui 1. sit futurus nomine & re Saluator. 2. Magnus absolute, naturâ, quia Deus; officio, quia summus mediator Dei & hominum, rex, pontifex, legislator, iudex; donis natu-
ra,